







12
1742
106

INTRODVCTIONIS
IN
LECTIONEM
EPISTOLAE S. PAVLLI
APOSTOLI
AD
COLOSSENSIS
SECTIO III.

QVAM
PRAESIDE
D. CAROLO GOTTLOB
HOFMANNO

S. S. THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO SENATVS ECCLESIASTICI ASSESSORE
AED. MARIAN. PASTORE ET TOT. CIRG.
SAXON. ELECTORAL. SVPERINTEND.
GENERALI

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

D. XXV. MAII A. R. S. CID IO CC XLII.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

M. CHRISTOPHORVS BAVER

SCHNEEBERGENSIS

S. S. THEOL. CVLTOR ET ALVMN. REG.

VITEMBERGAE

PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI

ACADEMIAE A TYPIS

INTRODUCTIO

LEGATIONE

FRISTIGER S. RAUILL

ALOTIOLI

COLOSSIENSIS

SECTIO III

FRISTIGER

D. CAROLO GOTTLIB

HOTMANN

FRISTIGER S. RAUILL

ALOTIOLI

COLOSSIENSIS

SECTIO III

M. CHRISTOPH HORN

FRISTIGER S. RAUILL

ALOTIOLI

COLOSSIENSIS

SECTIO III





CONSPECTVS

DISSERTATIONIS

§. I.

Nexus dicendorum cum
Sect. II. antecedenti o-
stenditur, atque

quintus subiungitur, addita
expositione loci difficillimi
Col. I. 15. cum quinque ar-
gumentis pro divinitate IE-
SV ab Apostolo ipso allatis,
&

§. II.

Difficultate hæreseologiæ
Sæculi I. allegata, quadru-
plex Epistolæ Pauli ad Co-
lossenses scopus specialis af-
fertur,

§. IV.

Lampii sententia, qua, Sæ-
culo I. exiitisse hæreticos di-
vinitatem Christi impugnan-
tes, negavit, ex instituto con-
futatur. Posthæc

§. III.

Scopus epistolæ specialis

V.

CONSPECTVS DISSERTATIONIS.

§. V.

Integritas huius epistolæ
tribus argumentis confirma-
tur, &

VI.

Locus, quem in volumine
atque ordine epistolarum
Paullinarum tenent literæ ad
Colossenses, determinatur.

§. VII.

Argumentoque Epistolæ
indicato,

§. VIII.

Partitio epistolæ ad Colof-
senses proponitur,

§. IX.

Cum analysi epistolæ ge-
neraliori.

F I N I S.



INTRO-



INTRODVCTIONIS
 IN
 LECTIONEM
 EPISTOLAE S. PAVLLI
 AD COLOSSENSES
 SECTIO III.

§. I.



lures una unius epistolæ dari caussas, & eas Nexus dicen-
 haud raro diversissimas, cum nemo facile sit, dorum cum
 qui dubitet, tanto confidentius de litteris, Sect. II. ante-
 quas *S. Paulus* ad Colossenses dedit, affirma- ced.
 mus, quippe in quibus ad plures diversosque
 scopos orationem Apostoli tendere, clarissime patet. Nuper, conf. Sect. II.
 cum de scopo huius epistolæ dissereremus, *S. Paulo Colof-* §. 10.
 sensium in vera religione atque doctrina cælesti confirmatio-
 nem curæ cordique fuisse ex *Cap. II. 2. & cap. IV. 8.* abun-
 de

A

de docebamus; insuper addebamus brevem errorum, a quibus mala quævis Colossensibus metuebat apostolus, indicem, additis hæreticorum a S. Paulo maxime reprehensorum nominibus. Quam telam ut reassumamus, atque pro viribus continuemus propositi nostri ratio postulat, ut vel tandem, ad quæ verba locaque epistolæ Paullinæ ad Colossenses in primis attendere debeat futurus harum literarum interpres, constet.

§. II.

Difficultates
hærecologia
Sæculi I.

Est omnino, quod lubenter fateor, opus periculosæ alex plenum, primorum temporum doctores hæreticos horumque figmenta recensere iusto ordine. Quotquot historiam, quam vulgo dicimus ecclesiasticam, literarum monumentis prodidere, in hanc arenam descenderunt quidem, sed dubio admodum in ea decertarunt Marte, ut cui pollicem premere fas sit vel nefas, ancipites hæreant spectatores non minus, quam Agonothetæ ipsi. (*) Qui data opera seductricis doctrinæ familias descripsere, plura promittentes, vel partium studio

(*) THOM. ITTIGIVS. cui potissimum in rebus ad sacram historiam N. T. pertinentibus credimus, hoc sua ætate tulit iudicium: *Esti vero plures in evolvenda veterum hæresium historia occupati fuerint, opus tamen accuratum de hæreticis, præcipue antiquis, adhuc desiderari, viri quidam doctissimi observant.* v. præf. ad diss. de hæresiarch. ævi apostol. p. 31. Ipse b. ITTIGIVS luculentam de hæresiarchis ævi Apostolici & Apostolico proximi dissertationem condidit, sed, si Venerab. Dn. D. IO. LAVR. MOSHEMIO credimus, nullo iudicio adhibito, siquidem in ea materiam potius congestam videamus, ex qua Historia hæresium a viro sagaci & rerum veterum perito componi potest, quam iustam & accuratam historiam conscriptam, v. *institut. histor. Christian. maior. Sec. I. p. 322.* Hanc censuram manes b. ITTIGIVS, viri, dum viveret, singularis modestiæ & humilitatis laude clarissimi, tanto moderatius ferent, quo candidior ipse in citata præfatione fassus est, se, quæ ad illustrandam hæresiarcharum ævi apostolici & apostolico proximi historiam facere poterant, in hac qualicunque dissertatione COLLEGISSE tantum; immo vero (suis viribus theologus modestissimus adeo diffidebat, ut historiam hæresium a sua tenuitate expectari non posse, fateretur, concedens tantæ molis opus viris sese peritoribus atque sagacioribus,

studio abrepti, vel subsidiis maxime necessariis destituti, vel monumentorum temporum lapsu perditorum penuria impediti, pollicitis stare non potuerunt; quod est indicio, inique in ius rapi, quos calamo passim titubante primorum temporum hæreses recensere scimus. Cuius moniti memores non mirabuntur, si quando nos in nominandis hæreticis ab aliis viris doctissimis dissensisse nuper, vel etiam in hac nostra scriptione dissentire, animadvertent. Non sumus nescii, seculas primo sæculo ecclesiam turbantes in *litteratas* atque *illiteratas* dispesci posse, sed, quia primos Christianæ religionis alumnos partem ex Iudaismo, partem ex Paganismo ad CHRISTI castra transiisse intelligimus, satius ducimus, in has duas catervas dividere hæreticorum agmina, siquidem, quodlibet horum ex avita sua superstitione, nunc hoc, nunc illud, retinendum putabat. Hinc de semi-iudaizantibus referebamus nuper, eos in epistola ad Colossenses cap. II. & III. a S. Paulo maxime peti, ideo, quod Iudaismum cum Christianorum sacris miscere, remque sua umbra adunire studebant. Ad hos referebamus, HIERONYMO atque EPIPHANIO praeceuntibus Cerinthianos atque Ebionitas, quorum familia utraque, in evincenda legis Mosæicae observatione aeterna, tanquam Christianis maxime necessaria, occupabatur. Cuius asserti me nequaquam poenitet, quicquid etiam SAM. BASNAGIUS in annal. polit. eccles. ad A. C. 50. §. 19. p. 600. PETRVS FAYDITVS in tractatu, *eclaircissements sur la doctrine & sur l'histoire ecclesiast. des deux premiers siecles cap. V. p. 64.* FRID. ADOLPH. LAMPIUS in comment. ad Ioan. Tom. I. p. 181. ut, Cerinthianos Paulli ætate nondum extitisse, evincerent, nuper disputaverint. Sunt enim argumenta, quibus hoc ivere assertum, ita comparata, ut facile confutari queant, immo vero iam abunde confutata sint a viris celeberrimis IO. FRANC. BVDDEO *de statu ecclesiæ apostol.* cap. V. p. 412. seq. GEORG. LVD. OEDERO *de scopo evangel.*

I. c. §. XI.

Scopus Epist.
specialis primus.

Ioan. p. 29. seqq. & venerabil. Dn. D. IO. LAVR. MOSHE-
MIO *in instit. histor. Christ. maiorib.* Sæc. I. p. 440. qui postre-
mus, dum non sine veri specie monet l. c. p. 453. Cerin-
thum *απο μερως* legem Mosaicam tantummodo retinendam
iussisse, concedit tamen, circumcisionis necessitatem Col. II.
II. sq. a Paulo reiectam, a Cerintho omni nisu affirmatam fu-
isse: unde patet, me Cerinthianos ad semi-iudaizantium tur-
bam, ab Apostolo in epistola ad Colossenses atro carbone no-
taram, non male retulisse. De *Ebionæis* vero, dubium est nul-
lum, eos eundem errorem errasse cum Cerinthianis, licet
LAMPIVS l. c. p. 194. de horum ætate idem, quod de Cerin-
thianorum, existimaverit, cui a BYDDEO l. c. p. 523. seq. satis-
factum est.

Scopus epist.
specialis se-
cundus.

Erant alii errores, a quibus ut sibi Colossenses caverent,
S. Paullus graviter hortabatur, scilicet, philosophiæ, Cabbæ-
læ, nec non Γνωστικῶς nomine specioso iactitati, novisque in Chri-
stiano orbe civibus passim commendati ab illis, qui iam tunc
Gnostici poterant vocari. Quibus nunc Cerinthum denuo
adnumeramus, de quo THEODORETUS *hæret. fabul. L.*
II. *cap. 3.* memoriæ prodidit, adultum in Aegyptum, ut Phi-
losophia imbueretur, commigrasse. Itaque fieri potuit, ut,
ad Gnosticorum intar, suas opiniones falsissimas splendido
Φιλοσοφίας titulo venderet, Apostolorum simplicitatem dete-
ctatus. Concedit S. Paullus ipse, speciem rationis præ se
ferre falsos doctores, *ατινα εσι λογον μεν εχοντα σοφιας.* Cap.
II. 23. addit autem, *κεννη απατη* esse hanc philosophiam, qua
(*συλαγωγειν*) prædonum more, hominum animis ceu præ-
dæ inhiarent seductores: quæ singula in Cerinthianos qua-
drare, errores ab EPIPHANIO *hæref. XXVIII.* p. 110. seq.
allati, satis superque docent.

Scopus specia-
lis tertius.

Reprehendit idem Apostolus vel in iisdem, vel in aliis
seductoribus externam austeritatis speciem, qua, humilitatem
atque

atque continentiam singularem ipsimet affectantes, Coloffensibus persuadere studebant, omnem Christianorum vitam debere tristem esse, atque cum corporis dispendio severam, i-
deo, quod ad normam iugi Mosaiici etiamnum sit formanda. Hæc est *αφειθα σωματος*, vexatio corporis. *Col. II. 23.* qua lu-
daizantes capiditatibus carnis fræna iniici posse per ieiunia
frequentiora, squalorem, cilicium, lotiones & reliqua, obten-
debant. Et hi erant iidem, qui *Φιλοσοφιαν* seu *γνωσην* ubique
crepantes, austerum vitæ genus præ se ferebant, deque ci-
borum discrimine severissime præcipiebant. *Col. II. 16.*

Servare porro studebat S. Paullus Coloffenses a graui-
simo errore, qui in *θησικεια των αγγελων*, quam de cultu an-
gelorum religiose intelligendam esse putamus, longissime a
vero discedebat. Ad hunc propendebant, quotquot *γνώσεως*
laudem affectabant, in primis Cerinthiani, contra quos Apo-
stolum aciem maximè instruxisse his in literis, satis docuimus.
Cerinthiani nempe non solum angelicas visiones iactitabant,
teste GAIUS apud EUSEBIUM libr. III. c. 28. quas PAVL-
LVS alludere videtur, dum seductores (*α μη σωρακεν εμβαιτω-
ων*) de confictis visionibus gloriatos tacite subinnuit: (*) sed

Scopus specia-
lis epistolæ
quartus.

A 3

&

(*) Subinnui hæc ab Apostolo, diximus; cæterum facimus cum IO. HENR. SVICERO, probe observante, reprehendere S. PAVLLVM temerarios oc-
cultorum scrutatores, quippe qui de angelis, eorum ministerio, ordinibus,
numero, nec non de visione Dei, aliisque futuro sæculo reservatis, multa
loquuntur, quasi *μεγαλειωτος ιεροτης* fuisset. Quid hi aliud quam *non
visa* fingunt? v. *commentar. in ep. st. ad Coloss. p. 149.* add. SEB. SCHMIDIVS
in comment. ad epist. in Coloss. p. 175. Egregia sunt, & ex institutis phi-
losophiæ Orientalis s. barbaricæ erudite petita, quæ SALOMO VAN TILL
in elegantissimo ad quatuor Pauli epistolas commentario p. 366. de ange-
lis, a Gnosticis s. Philosophis ideo cultis, ut eorum ope *θαυματα* opera-
ri possent, docte congestit; ad quem lectores nostros remittimus, paucis
his tantum inde allatis: *Cumque Gnostici θαυματουργων, ut artem aliquam
licitam celebrarent, Angelorum cultum introduxerunt. Ad cuius erectio-
nem theoria requirebat γνωση, & cognitionem, quibus rebus singuli suis
nominibus designati præessent. Praxis vero requirebat peculiare precuti-
uncis.*

& mundum hunc aspectabilem conditum ab Angelis, supremo numine multo inferioribus, teste TERTVLLIANO de *Praescript.* c. 48. & EPIRHANIO *haeref.* 28. p. 110. affirmabant: insimul docentes, hominem, cuius naturam vix satis extenuare poterant, cum Deo commercium habere nullum posse, nisi interveniente ministerio angelorum teste THEODORETO *ad Col. 2. 18. tom. III. opp.* p. 355. Inde patebit, cur

Sec. II. §. 14. Cerinthianis *θηρητικῶν ἀγγέλων* cum *κατανοήσεως* adscrips-
 introd. nostrae in epist. ad Coloss.
 rim nuper, utur hunc errorem in recensione opinionum Cerinthi, a viris eruditis adhuc confecta, frustra quaesiverim.

§. III.

Scopus epistolae specialis quintus.

Tandem s. PAVLLVS omni, qua potest cura & opera cavere studet, ne Colossenses in praecipuo sanctissimae religionis Christianae capite, nempe in doctrina de aeterna CHRISTI divinitate, a recto tramite defleant, neque erroribus passim iam tunc in ecclesia sparsis circa summam CHRISTI personam, indulgeant. Quid enim sibi vult prolixa illa, de summa CHRISTI persona disputatio, quam *cap. I. 15.* & sequi habet, atque *cap. II. 3.* & sequi studiosissime inculcat, immo & custodiendam severissime praecipit. Agedum consideremus praecipua huius disputationis capita, cuius initium maiestatem atque divinam excellentiam, qua omnia Christus superat, adeo celebrat, ut PAVLLVS, sua quid efficere possit arte dicendi, videatur expertus. Os, inquit, *ἐστὶν εἰκὼν τῆς Θεοῦ τῆς ἀορατῆς, πρωτογενὲς πάσης κτίσεως.* *Cap. I. 15.* Meminerat PAVLLVS v. 13. filii Dei dilectissimi, eumque multo verborum pondere *τὸν υἱὸν τῆς ἀγάπης αὐτῆς*, nempe *τῆς Πατρὸς*, v. 12. dixit.

Col. I. 15. quid
 εἰκὼν τῆς Θεοῦ
 ἀορατῆς.

uniculas & ritus, quibus putabant se posse tales Angelos evocare ad divinitatem capita, & precibus implorent, ut arbitrium suum efficere. Hactenus ille. De CERINTHO apud EUSEBIUM *Libr. 3. hist. eccles.* c. 28. p. m. 100. refert GAIVS *πρωτολογίως ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῶν δεδομένως* mentium eum esse: id quod nostram coniecturam haud leviter stabilis.

dixerat, hoc est, filium, quem non modo Deus amore pater-
no intensissimoque profecquitur, sed in quo & per quem et-
iam suum erga mortales affectum tenerrimum declarat. I. Ioh.
IV. 9. (*) Hunc DEI filium sanguine suo homines redemif-
se, criminumque veniam eo, ceu pretiosissimo *λυτρω*, his pe-
perisse, docuit idem, v. 14. in eo nunc v. 15. occupatus, ut,
quomodo fieri potuerit haec *απολυτρωσις* per sanguinem Chri-
sti, & unde hunc redimendi valorem acceperit cruor eius-
dem, exponat. Ostendit itaque excellentiam, maiestatem,
quin & summam divinitatem CHRISTI, pro nobis suum san-
guinem effundentis. *Ὁς ἐστίν*, inquit Apostolus, digito quasi
agnum Dei pro nobis mactatum demonstrans, *ὅς*, idem ille,
de cuius sanguine hactenus locutus sum: idem ille, nudus
homo neque est, neque fuit, sed (*ἐστίν*) etiamnum est *εἰκὼν τῆς*
Θεῆ τῆς ἀοράτης, imago Dei, non accidentalis, uti pictura & ef-
figies Caesaris; non imperfecta & inadæquata, qualis est ma-
ritus respectu uxoris *εἰκὼν καὶ δόξα Θεῆ ὑπαρχῶν* I. Cor. XI. 7.
sed naturalis, substantialis, arque essentialis, quae *χαρακτὴρ τῆς*
ὑποστάσεως αὐτῆς dici potest & debet, *Εβρ.* I. 3. perfectissima,
qua creaturarum nulla dici potest imago patris: *ἐν αὐτῇ τῇ ὁ-*
μοσίᾳ τοῦ ἀπαράλλακτον διασωζέσθαι, iudice BASILIO M. L. I. *con-*
tra Eunom. p. 28. Hic ipse IESVS: *Ὁ ἑώρακώς ἐμὲ, ἑώρακε*
τὸν πατέρα, qui me vidit, vidit patrem Ioh. XIV. 9. quia filius
patrem adeo perfecte & plenissime exprimit, non in humana
sua natura visibili, sed in divina eaque invisibili (*τῆς ἀοράτης*,)
ut sit idem, qui Pater, quoad essentiam divinam, huiusque
ὁμοσίαν. *Ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, pergit IESVS, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοὶ ἐστίν,*
ego

(*) *Filium dilectionis suae*, in quo omnis complacentia & dilectio Dei velut
deposita est, Matth. III. 17. in quo solo dilectione & gratia fruimur,
Eph. I. 6. & in quo dilectos suos glorificat, *Εβρ.* XLIII. 4. Sic *ΑΠΡ. CA-*
ΛΟΝΙΟΥS in *bibl. illustr.* ad h. I. tom. IV. p. 801. melius quam *THEODO-*
RETVS, *emphaticè* allecutus, qui *ἰσὺν τῆς ἀγάπης* solummodo vertit, per
ἀγαπητὸν υἱὸν, τῆσφι; γνησίον, filium naturalem, a servo distinctum & a
creatura. conf. *SVICERI thesaur. eccles.* tom. II. p. 1357.

ego in patre, & pater in me est v. 10. conf. SEB. SCHMIDIVS comment. in Epist. ad Coloss. p. 50. 51. AEGIDIUS HVNNIVS ad b. l. & in primis b. ABR. CALOVIVS in bibl. illustrat. tom. IV. p. 802. qui HVGONIS GROTHII versionem, satis latinam, sed minus orthodoxam, *Dei inaspecti aspectabilis imago*, optime me confutavit, nam filius non minus est inaspectus, quam Pater, neque est filius patris imago, qua Homo, sed qua Deus, & quidem invisibilis. Pergit statim Apoftolus in declaranda

Col. II. 15. πρωτοτοκος πατρος κτιστος.

CHRISTI maiestate, dum eum πρωτοτοκου πατρος κτιστος πρωτογενitum omnis creaturae nominat: id quod nomen inique, ab Arianis & Photinianis in suas partes raptum, variis modis, pro ingeniorum varietate exponitur pariter & vindicatur. Ego vero, qui brevitatis studiosus, non tam, quid alii senserint, sed, quid sentire debuerint, circumspicio, illas diversas diversorum sententias, ab aeterno illo Hamburgensium decore, b. 10. CHRIST. WOLFIO in cur. philol. ad N. T. tom. III. p. 285. & ab aliis sententiarum multarum collectoribus, passim conquisitas, non repetam, sed, quae mea sit sententia, candidè proferam, iustisque confirmabo argumentis. Πρωτοτοκος responderet ebraeo, בכור de quo STOCKIVS in clave linguae sanctae p. 134. non male annotat, *quicquid in unaquaque re primum est, & alia praeventit*, eo significari: rectius autem dixisset, πρωτοτοκου excellentiam, eminentiam, superioritatem, & dominatum indicare. (*) Accipitur enim in S. scriptura vel

Etymologia
vocis πρωτοτοκος.

Homonymia
vocis.

(*) Sic enim occurrimus dubio, quod magnus quondam noster ABR. CALOVIVS contra HVGONEM GROTHIVM ad h. l. movit: *Aliena est hic collatio vocis בכור quod primogenitus dicitur id, quod primum, & quod summum est in quoque genere. Nam non est primum aut summum inter ea, quae creata sunt, Filius Dei, sed est eorum creator. Creator autem & creatura differunt toto genere. Scilicet, GROTHIVS subdole addiderat, summum in suo genere, ut Christum in creaturarum rerum numerum referre videretur Paullus: nos vero asserimus, ebraeum בכור in genere omnem superioritatem, eminentiam, consequenter & disse-*

vel *proprie*, pro eo, qui primogenitus, primo loco natus, ut sanctissimus noster *SOSPITATOR* suo iure appellatur *πρωτοτοκος* Mariae virginis, Matth. I. 25. Luc. II, 7. vel *improprie*, pro eo, qui aliis excellentior, eximior, potentior, aliorumque futurus dominus est. Sic noster Sospitator a Davide, ti Psalm. 89, 28. tulo *primogeniti regum terra* condecoratur, Pf. LXXXIX, 28, quod idem sonat ac *Rex regum, Dominus dominorum* I. Tim. VI. 15. Apoc. XVII. 14. cap. XIX. 16. (*) Et Bildadus, id, quod atrocissimo mortis genere maius & infelicius est, describens, בכור מות, primogenitum mortis vocat, Hiob. Hiob. 18, 13. XVIII. 13. (**) quæ non tam est *mors violenta, terribilis, inter mortis species prima, & maxime metuenda*, iudice CAMP. VITRINGA comment. in Esaiam tom. I. p. 454. quam potius Ecl. 14, 30.

B id,

differentiam summam, indicare, Christumque nobis creatorem sistere & dominum rerum omnium a Deo productarum: id quod sequentia & confirmabunt, & ab obiectionibus vindicabunt.

(*) Psalm. LXXXIX. 28. qui locus Hieropsalms sententiam nostram egregie confirmat. Etenim in proxime antecedenti *הוּא הוּא* de eterna filii Dei generatione sermo erat: *הוּא הוּא יְקָרְאֵנִי אָבִי אֵתָּה* ille *vocabit me: Pater meus Tu es.* Nunc pater hic celestis de suo filio loquens, eum *primogenitum* vocat: quidque hoc nomine intellectum cupiat, & quare eum eodem compellet, confessum indicat: *עָלִיוּ לְמַלְכֵי אֶרֶץ*, altum, NB. *excelsum* regibus terra, h. e. quem ipsi reges, seu dominum suum & principem, colent atque venerabuntur. Vides itaque בכור *primogenitum*, per subsequens *עָלִיוּ excelsum, superiorem*, explicari. Num ideo sequitur, Christum ad reges terra pertinere, quia primogenitus regum terra vocatur? Neutiquam, sed quia omnibus regibus excellentior, eminentior. Ergo, בכור, non semper, etsi subinde, significat eum, qui in suo genere tantum, sed &, qui in omni excellentiam primumque locum tenet.

(**) Ego quidem verba Bildadi sic verto: *comedet ramos eius בכור מות*, *dominus s. princeps mortis*, qui potentior, excellentior est ipsa morte. Quod si itaque concederem, de atrocissimo mortis genere loqui Bildadam, tamen monerem simul, Bildadam uti phrasi maxime emphatica, quæ cruciatum & tortorem, morte crudeliorem, morte ferociorem, denotat, ut atrocitatem mortis exprimat per metaphoram. Optime mecum consentit b. MART. LUTHERVS, in sua versione: *Und seine Stärke wird verzehren der Fürst des Todes; cuius auctoritatem CALOVIO hac in re opponimus, si auctoritate pugnandum.*

id, quod morte funestius, crudelius, potentius est. Rectius VITRINGA Esa. XIV. 30. explicat, dum per בְּכֹרֵי פְלִים, *primogenitos tenuium* intelligit tenuissimos, qui inter pauperes & egenos primi censeferi poterant. Consimili ratione

Rom. 8. 29. πρωτοτοκος Rom. VIII. 29. obviat, ubi S. PAVLLVS fideles συμμορφως της εικονος Christi, cum in passione, tum in glorificatione fieri, εις το εναυ αυτον ΠΡΩΤΟΤΟΚΟΝ εν πολλοις αδελφοις (*) asserit: in cuius loci expositione, quocunque etiam sese vertant interpretes, eminentiam tamen & prerogativam, nec non primatum voce πρωτοτοκος innui, nullo modo negare poterunt. Quemadmodum & Col. I. 18. Christus πρωτοτοκος εν των νεκρων dicitur, (**) non ratione ordinis, sed

Etymologica
atque prima-
ria significa-
tionis causa
& origo.

dignitatis & eminentiæ, immo vero etiam causalitatis. Est itaque hæc nativa, primaria, & Etymologica vocis πρωτοτοκος significatio, quam ex iure primogenituræ olim passim obtinentis, rectissime derivamus. *Primogenitus patris*, de quo apud S. Paullum sermo est, (non item *matris*, qui singulari ratione Deo facer, redimi quinque siclis debebat, Num. XVIII. 16.) non solum in hæreditate geminam portionem accipiebat, Deut. XXI. 17. sed & in cultu Dei publico tenebat primum locum, & in tota familia præcipua auctoritate gaudebat. vid.

IKENII *antiquit. Hebraicæ Part. III. c. 2. §. 28. p. 521.* Adde his, Nostra sententia quæ S. Paullus Gal. IV. I. 2. huc pertinentia attulit. (***) Hunc

significa-

(*) Optime hunc locum Celeberrimus CHRIST. STOCKIUS in *notis ad N. T.* exposuit, monendo, Christum dici πρωτοτοκον εν πολλοις αδελφοις, inter fideles, tanquam cohæredes gloriæ, ita tamen, ut tanquam caput ac primogenitus primatum & prerogativam in gradibus passionum & gloriæ præ cæteris fratribus teneat, quia ipse est Filius Dei *naturalis*, fideles autem filii *adoptivi*.

(**) Conf. SVICERVS in thesaur. eccles. tom. II. p. 881. 882.

(***) Loquitur S. PAVLLVS Gal. IV. I. de κληρονοµει, cumque conceptis verbis ΚΥΡΙΟΝ παντων, nempe futuram hæreditatis paternæ dominum, appellat, siquidem talis etiam est. Observasse ideo iuvabit, rectissime in scriptis

N. T.

significatum in nostro quoque oraculo S. Pauli obtinere, nota profertur
 strofque Servatori Πρωτοκυ πασης κτισεως titulum a S. Paul- & probatur.
 lo tribui, ideo, quod omni creatura excellentior, eminentior,
 eiusdem dominus, creator & princeps fit, confirmamus 1) ex
 ipfius vocis significatione etymologica, haftenus a nobis expo- Arg. 1.
 sita & ab ipfo Paulo v. 18. allata, Ινα γενηται EN ΠΑΣΙΝ
 αυτος ΠΡΩΤΕΥΟΝ, ut in omnibus primatum obtineat, feque
 omnibus maiorem & eminentiorem ostendat: quam interpre-
 tandi rationem si quis respueret, is nae graviori animadversio-
 ne dignus esset, quia data opera luci repugnaret nexumque
 verborum negligeret. 2) Studiosissime cavet Apostolus, ne Arg. 2.
 Christum Πρωτοκτιστον diceret, ut ne in numerum creaturarum
 ab incautis referretur. Sed πρωτοκτον (*) cuius 3) appella- Arg. 3.
 tionis causam in creatione rerum omnium, stupendo illo di-
 vine potentiae opere, & deitatis summae indice manifestissi-
 mo, posuit Apostolus: Οτι, ideo quod, οτι εν αυτω εκτισθη τα
 παντα τα εν τοις θρανοις και τα επι της γης, &c. v. 16. quod est
 documento, Paullum per appellationem Πρωτοκυ, illam, quae
 B 2 Chri-

N. T. heredem si κληρονομον significationem κυριω sustinere. Quem Paullus
 Ebr. I. 2. κληρονομον πατρων salutatur, Petrus nominat πατρων κυριω.
 Act. X. 36.

(*) Summum hoc discrimen sua iam aetate inculcavit IO. DAMASCENVS Libr.
 IV. de orthod. fid. cap. 8. Εικοτας υιος μονογενης Πρωτοκυ, ΚΑΙ ΟΥ ΠΡΩ-
 ΤΟΚΤΙΣΤΟΣ λεχθησεται: merito itaque filius unigenitus uocabitur pri-
 mogenitus, non primo creatus. Idem observavit CHRYSOSTOMVS &
 THEOPHYLACTVS contra Arianos: nec non AMBROSIVS Libr. I. de
 fid. cap. 4. Primogenitus dicitur, non primo creatus, ut & genitus pro
 natura, & primus pro aeternitate credatur. De Socinianis, & GROTI-
 O frigidam his affundenti, monuimus supra, quod Christum in numerum
 rerum a Deo creaturarum referre conentur, eumque in finem ad vocis
 Πρωτοκυ significationem pronocent, contra quos cum IO. TILLOTSONO,
 archiepiscopo Cantuariensi celeberrimo, sermon. I. tom. 1. p. 20 hoc
 imprimis inculcamus, quod vox Πρωτοκυ distinctionem ab omnibus
 entibus creatis clarissime indicet. Ita enim argumentamur: „Qui ideo
 „ Πρωτοκυ πασης κτισεως vocatur, quia πατρων κτισιν creavit & conserva-
 „ vit, is ab omni creatura tanquam CREATOR longissime distat. De
 „ Christo hoc affirmat S. Paullus v. 16. Ergo,

- Arg. 4. Christo, ut creatori, competit, eminentiam præ omni creatura, adscribere voluisse, 4) non exclusâ prioritate, de qua clarissimis verbis v. 17. *καὶ αὐτὸς ἐστὶ πρὸ πάντων, καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκεν*, quibus verbis æternitas, eaque divina, Christo adseritur, stilo biblico, ubi frequentissime æternitas soli Deo competens per hanc formulam loquendi exprimitur. Pf. XC. 2. Esa. XLIII. 13. Prou. VIII. 25. Matth. XXV. 34. &c. Accedit 5) quod Paullus in loco maxime parallelo Ebr. I. 2. ubi ex instituto eminentiam Christi præ omni creatura, etiam præ angelis, confirmat, *κληρονομον πάντων* Christum dicat, quem nostro in loco *πρωτοτοκον* salutar, qui erat hæres paternorum bonorum & quidem ob creationem, *διὲ καὶ ἀλωνας ἐποίησεν*. Ebr. I. 2. (*)

Quinque argumenta, pro divinitate IESU ab Apostolo allata h. l.

Tendit itaque Paulli oratio ad celebrationem & prædicationem Divinitatis IESU CHRISTI, quam non solum gemina hac, *εικονος τῆς Θεῆς & πρωτοτοκῆς πάσης κτίσεως*, appellatione indicat, sed & uberius vers. 16. sqq. ostendit 1) ex mirando creationis, per hunc factæ, opere, v. 16. siquidem certissime ex hoc commate licet concludere: Qui omnia creavit, & quidem propter seipsum creavit. (non iussu alius) is est verus atque summus DEVS. 2) ex æternitate soli DEO propria, quam his verbis IESU adscribit: *καὶ αὐτὸς ἐστὶ πρὸ πάντων*, qua de phrasi in sacris paginis frequentissima, videatur GLASSIUS in *philolog. sacr. L. IV. tract. I. observ. 4. p. m. 1161.* 3) Ex divinatione rerum omnium conservatione, *καὶ τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκεν*, v. 17. quam Paullus Ebr. I. 3. elegantissime describit, *Φεζῶν τὰ πάντα τῷ ῥηματι τῆς δυναμῆος αὐτῆς, omnia manu quasi*

(*) Censemus itaque, *πρωτοτοκον* & *υἱον κληρονομον* esse synonyma, cum ipsa natura doceat, primogenitum paternorum bonorum hæredem, eorundemque futuram *dominium* haberi; quocum consentit usus sacra Scripturæ. vid. Act. X. 36. Gal. IV. 1. 2. *Heres idem hic est, quod Dominus seu herus, quo nomine Latini etiam hæredem appellant*, inquit WOLFIVS in cur. philol. ad N. T. tom. III. p. 601.

quasi ferens atque sustentans, manu scilicet fortissima, divina & ea potentissima. 4) Ex regimine, quod in ecclesiam suam exercet Christus, v. 18. cuius κεφαλη caput est: esse autem non posset, nisi divina sua gratia influeret in membra ecclesiae, quem influxum hyperphysicum, immo vero etiam divinum, esse debere, quis est, qui neget. 5) ex opere redemptionis per Christum perfectae, v. 20. 21. seqq. quod demum perficere non potuisset, nisi fuisset verus DEVS, verus & μεσιτης inter DEVM & homines. 2. Cor. V. 19.

§. IV.

In hac de Christi divinitate doctrina, ut confirmentur Colossenses, Apostolus his in literis omnem navat operam, Col. II. 2. 6. Ipsosque contra omnes errantium tentationes praemunire studet, dum cap. II. 9. non modo CHRISTI divinitatem denuo asserit, inque eo παν το πληρωμα της θεοτητος σωματος inhabitare docet, sed & existere, qui Colossenses ab hac fidei confessione abducere & ad errores perniciosissimos perducere studeant, aperte monet. Vnde ad oculum patet, fuisse iam tum aetate S. PAVLLI, qui Colossenses per vanam seductricem philosophiam, ad negandam Christi divinitatem movere, & a cultu huius nostri capitis religioso avocare tentabant. Col. II. 19.

Vt miremur tanto magis, IO. ADOLPHVM LAMPI-
VM, confidenti admodum animo & quasi de rei veritate con-
victissimo, olim asseruisse, neminem ante Theodotum, a patria
Byzantinum, ab artificio Coriarium vocatum, aperte Deitatem
Christi negasse. v. *commentar. in Ioan. evangel. tom. I. p. 191.*
Argumenta, quibus suam opinionem palliare studet, vix LAM-
PIO digna censemus, sunt autem tria. *Primo loco affert te-*
stimonium auctoris antiqui apud EVSEBIVM *hist. eccles. libr. III.*
V. 28. adferentis, Theodotum Coriarium fuisse *αρχηγον και πα-*
τερα

τερα της αρχησιδης αποστασις, id est, *ducem & auctorem primum defectionis Deum negantis*, eumque ob negatam Christi divinitatem a Victore esse excommunicatum. Sed, ne quid dicam de incerta incerti auctoris auctoritate, quam EVSEBIUS neque probat, neque reiicit, cui ideo nos parum tribuimus, etsi PHOTIUS in *bibliorb. codic. 48. CAIO Romano*, auctorem huius fragmenti citer, repugnante tamen THEODORETO *fab. haeret. L. II. c. 5. & NICEPHORO Libr. IV. c. 21.* in aprico iacet fallacia, a LAMPIO, nescio quo casu, commissa. Nimirum, incertus ille auctor Theodotum Coriariarum re ipsa nominat quidem *τον αρχηγον και πατερα της αρχησιδης αποστασις*, sed cur quæso LAMPPIUS omisit ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ αποστασις, huius ipsius abnegationis, de qua hactenus anonymus ille locutus est? Nonne ideo, quod intelligebat, reperita hac ab auctore limitatione, suum corrue-
 re argumentum? Græca fides! Docet initium capituli XXVIII. de Artemonitarum hæresi loqui auctorem illum: *Τετων εν τινος σπεδασματι κατα της ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ αιρεσεως &c. Porro, in cuiusdam ex illis auctoribus libro adversus Artemonis hæresin &c.* Ergo Theodotus huius ab Artemonitis factæ αρχησιδης αποστασις auctor, hosque inter *πρωτος primus* Christum dixisse *ψιλον ανθρωπον*, nudum hominem, ab incerto illo auctore apud EVSEBIUM vocatur. Sic inde nihil lucratur LAMPPIANA opinio.

Arg. II. Lam-
p.ii.

Deinde ante Theodotum deitatem Christi in dubium vocatam non esse, vel ex eo patere, LAMPPIUS existimat, quia nulli ante eum defensores eius in ecclesia fuere; in quam rem egregium esse aliud CAII apud eundem EVSEBIUM Libr. V. 28. testimonium, in quo præter & ultra IRAENAEI & MELITONIS pro deitate Christi scripta, allegari nulla potuisse, opinatur idem: Nam si innotuissent, hac occasione ea CAIUS non reticisset. Cur vero Deitas Christi non defensa est, nisi quia
hacte-

hactenus nemo directe contra eam pugnavit? vid. p. 191. Varia in his παραρρηματα observo, paucis indicanda. Miror nempe, LAMPIVM testimonium, ab EVSEBIO allatum, vocasse aliud CAII, cum tamen eiusdem sit incerti auctoris, cuius supra citaverat verba, ut prona sit coniectura, virum doctissimum EVSEBIVM ipsum hac in disputatione non inspexisse, sed ab alio fuisse hanc in opinionem adductum. Porro, quo iure LAMPIVS, ex huius incerti auctoris verbis, nulla ante Irenæum & Melitonem pro deitate Christi scripta extitisse, concludat, ego quidem non intelligo. Ipse enim anonymus addit, præter *Iustinum, Milriadem, Tarianum, Clementem* ΕΤΕΡΟΥΣ ΠΛΕΙΟΝΑΣ *alios quam plurimos* scripta edidisse, εν οἷς ἀπασι θεολογεῖται ὁ Χριστός, *in quorum omnium libris Christi deitas adstruitur*: ergo Irenæus & Melito neque primi neque soli fuerunt, qui pro divinitate Christi adserenda pugnarunt. Immo vero, quod tamen non concedo, si incertus ille auctor quoque alios, præter Irenæum & Melitonem non allegasset, inde non sequeretur, nullos quoque præter hos olim extitisse deitatis Christi assertores, sed plures auctori huic non innotuisse. Constat enim inter omnes, scripta, primo, post Christum natum, sæculo exarata, paucis admodum innotuisse olim, indeque pauciora ad nos pervenisse. (*)

Tandem LAMPIVS, sicut apologias pro deitate Christi Arg. III. Lam- in prima ætate, Apostolicam excipiente, defuisse putat, ita Pii. ne nominatam quidem esse deitatem Christi negantium hæresin in Epistolis Apostolicis, Apocalypsi, & POLYCARPI literis, affirmare non dubitat. Sed sumit sibi vir doctissimus, quod

(*) Multæ huius penuriæ allegari possunt causæ. Scripta primorum doctorum ecclesiæ non divulgabantur, nisi clam multaque cum circumspectione, ob durissimas persecutorum minas. Rarius exempla describebantur, & si quæ descripta prostabant, magno vendebantur pretio. Pagani exempla horum scripto: um cupidissime conquirebant, postea comburebant. Et quæ sunt plura.

quod falsissimis nititur hypothefibus, multisque argumentis destrui potest. Existebant iam ætate Apostolorum *Cerinthiani*, qui sanctissimam IESV personam, IESVM a CHRISTO distinguentes, & utrumque perverse explicantes, nihil minus, quam veram divinitatem Christi asserebant: Existebant *Ebionæi* & *Nazaræi*, aperti hostes divinitatis CHRISTI, quicquid etiam LAMPIVS CUMBASNAGIO reclamet: Existebant *Simoniani*, qui, vi suorum somniorum, Christum habere verum Deum non poterant. Præterea, cum in scriptis Apostoli PAVLLI & IOANNIS, multo verborum ambitu, summa argumentorum vi & pondere, iterum iterumque, data quavis occasione; doctrina de Deitate IESV CHRISTI proponatur, confirmetur, vindicetur, inculcetur, commendetur: (exempla cape ex Ebr. I. tot. Ioh. I. r. sqq.) immo vero, ne ab ea dimoveamur, ab Apostolo severissime prohibeatur; Col. II. 8. Col. I. 23. vix intelligo; possitne fieri, ut, Apostolorum ætate neminem Christi deitatem negasse, quispiam præter LAMPIVM suspicetur.

Hostes divinitatis Christi.

Pugnat itaque s. PAVLLVS in his ad Coloffenses literis, etiam adversus hostes divinitatis CHRISTI, sua iam ætate ecclesiam turbantes, fideliumque corda a λογῶ της αληθειας avocantes. Quinam fuere? varii quidem & multi, prouti dicebamus paullo ante, Cerinthiani puta, Ebionæi, Nazaræi, Simoniani, ψευδοδιδασκαλοι alii quam plurimi: dum vero ad verba πληρωμα πρωτοτοκος, Φιλοσοφια κατα παραδοσιν ανθρωπων, &c. attendo, venit in mentem *Gnosticorum*, antiquissimorum nempe, non saeculo secundo natorum, familia, quæ de CHRISTI divinitate, vi opinionum præiudicatarum, non poterat alia, quam absurda atque erronea docere. Florebant, ætate Apostolorum ψευδωνυμος Γνωσις, de qua gloriabantur, quotquot præ reliquis sapere sibi videbantur, orientali seu barbara illa famosa philosophia tumentes, indeque Γνωστικοι recte

Gnostici a Paullo refutantur.

recte dicti, voce sensu generaliori sumta, I Tim. VI. 20. Tit. III. 9. I Tim. I. 3.4. Ipsam philosophiam in primis eam, quæ circa entia sensus non incurrentia, (id quod a multis neglectum vidimus) versatur, vocabant *γνωσιν των οντων*, qua de re elegantissima prostat IAC. THOMASII dissertatio. Cumque huius *γνωσεως* s. philosophiæ prætextu, hæretici doctrinæ Christianæ capita adorirentur, factum inde est, ut *Γνωσις* Apostolis non modo male audiret, sed & omnes a recto veritatis tramite aberrantes, Cerinthiani, Simoniani, Nicolaitæ, &c. nomine Gnosticorum satis famoso compellarentur. Teste EPIPHANIO *haer. XXXI. Valentin. p. m. 163.* CLEMENS ALEXANDRINVS rem acu fere tangit, Paullumque suis in epistolis philosophiam, a iactitato philosophicæ *γνωσεως* factu, caute distinxisse, obseruat: *Παυλος εν ταις επιστολαις, & φιλοσοφιαν διαβαλλων, φανεται τον τε γνωσιν μεταλαμβανοντα υψος, &c. Paulus in epistolis, non philosophiam, sed eum, qui se sublimioris vel altissimæ cognitionis participem dicit, reiicere videtur: vid. Stromat. L. VI. p. m. 645.* Adderem ex operibus CLEMENTIS ALEXANDRINI longe plura loca, nostram de *γνωσιν* titulo, a philosophis olim affectato, sententiam confirmantia, si opus esset, in primis ex *Lib. I. Stromat. p. m. 298. 299. &c.* Non possum tamen, quia venerabilis Abbatis Dn. D. IO. LAUR. MOSHEMII verba ad hanc rem maxime facientia, huc transcribam. „Hæc si observaveris, desines caussam diutius quærere, propter quam Philosophi illi orientales, qui simplicissimam & divinam Christianorum sapientiam commentis obscurarunt, *γνωσιν* sibi arrogarunt, seque ipsos *Gnosticos* nominarunt, & ab aliis hoc nomine appellari voluerunt. Prædicabant nimirum, solidam sibi & certam rerum divinarum & æternarum, ipsius Dei, consiliorum, decretorumque eius, spirituum, animarum, primarumque, unde orta sunt omnia, caussarum, scientiam divino beneficio obtigisse, ideoque omnium

C

Quid *Γνωσις*,
& *Γνωσιν*.

„ *γνωσιν* sibi
„ arrogarunt,
„ seque ipsos
„ *Gnosticos*
„ nominarunt,
„ & ab aliis
„ hoc nomine
„ appellari
„ voluerunt.

» mnum sese dogmatum Christianorum, quæ ceteri memoria
 » tantum comprehendant & credant, rationes aperire posse.
 » *Fidem* scilicet distinguebant a *γνώσεις* sive *scientia*. Illa Chri-
 » stianos secum dissidentes esse præditos, concedebant: sibi met
 » vero unis hanc datam esse, contendebant. Vtramque vero
 » ita distare, dicebant, ut, *ψυχικον* & *πνευματικον* *animale* & *spi-*
 » *rituale*, differunt, id est latissime. vid. CLEMENS ALE-
 » XANDRINVS Stromat. Lib. II. cap. III. p. 433. Quocirca
 » *γνώσιμος* generatim homo est, qui religionem Christianam,
 » quam divinam esse non dubitat, sic interpretatur & expli-
 » cat, ut decretis philosophiæ cuiusdam, cui se addixit, de divi-
 » na natura, & de ortu mali, & de æternis rerum omnium prin-
 » cipiis, congruat & consentiat.

Vberius hæc & exponuntur & confirmantur a b. IO.
 FRANC. BVDDEO in doctissimo libro *de statu eccles. Apostol.*
 p. 576. 577. sqq. ubi in CLERICO, pariter & in HAMMON-
 DO multa emendationem postulantia, censoria virgula nota-
 vit, nostram vero sententiam egregie confirmavit. Sed mis-
 so tandem epistolæ scopo, ad integritatem eius docendam
 pergitur.

§. V.

De integritate
 huius epistolæ,
 quæ probatur
 I) ex citatis Pa-
 trum *ομοψυ-*
φoις

Integram ad nos peruenisse epistolam s. PAVLLI, olim ad
 Colossenses datam, non modo loca, a primis statim ævi A-
 postolici doctoribus allegata, horumque in scriptis etiamnum
 profantibus obvia, condocent, sed & si opus esset, e singu-
 lorum sæculorum scriptoribus Christianis, verba huius episto-
 læ iterum iterumque eo, quo nunc leguntur, sensu atque or-
 dine citantibus, uberius posset confirmari. Sed nimis am-
 plum ingrederemur campum, unde difficilis reditus, ob loco-
 rum multitudinem. IO. MILLIVS, qui variantes lectiones

N. T.

N. T. non solum e codicibus, sed & e Patrum scriptis studiofissime collegit, nihil, quod integritatem epistolae huius nostrae lacefferet, in Patrum monumentis observavit. In cuius testis, satis oculati, auctoritate tuto acquiescimus. Nec negligenda sunt κεφαλαία, de quibus in animadversionibus ad b. PRITII *introducēt. in lectionem N. T. cap. 24. p. 328.* ipsimet plura disputavimus. Leguntur in quibusdam codicibus antiquissimis, unde in Elzevirianam atque Millianam N. T. editionem, nec non in PRITIANAM introductionem *cap. XXV.* transfumta fuere. Sunt autem, quod ad nostram epistolam attinet, haec:

2) εκ κεφαλαίων veterum.

ΚΕΦΑΛΑΙΑ ΤΗΣ ΑΥΤΗΣ ΕΠΙΣΤΟΛΗΣ.

- α. Ευχαριστια υπερ Κολασσαεων οικειωθεντων τω Θεω επ' ελπιδι.
 β. Ευχη περι αυτων εις σοφιαν πρακτικην, εις δυναμιν υπομονης, συν ευχαριστια της οικειωσης της εν καθαρσει.
 γ. Περι της εν χριστω κτισεως και ανακτισεως της κατα συναφειαν Θεου.
 δ. Περι εθνων προσαγωγης της εν σωματι χριστου και παθει δια πιστεως.
 ε. Περι της δια των πονων αυτη διδαχης ανακτικης εις παραστασιν Θεου.
 ς. Περι της μη υπαγεδαι τη ανθρωπινη Φιλοσοφια απωτηλη της εν χριστω την σοφιαν εχοντας.
 ζ. Οτι η προς Θεου συναφεια και τα της νομης περιεχει πνευματικως, εις το συζηη χριστου.
 η. Οτι οι της σαρκικης νομης τυποι τοις σαρκικοις χρησιμοι, και ο πνευματικοι τοις εν δυναμει Θεου ζωσιν.
 θ. Παρανεσις περι καθαρσεως, αγιασμου, Φιλανθρωπιας, Φιλοθεοτητος, Φιλομαθιας, Ψαλμωδιας, ευφημιας εις Θεον διαγωγης, ευχαριστιας.
 ι. Τα προς της οικειας ομοιοητικως. Εν ω, τα προς της αλλοτριους ευφρονως, οικονομιας.

Ex his κεφαλαιois patebit, quoad præcipua capita, in antiquis huius Paullinæ epistolæ exemplis manu exaratis, lectum fuisse nihil; quod frustra quærat in nostris ære descriptis.

3) *ex 512015.* Adderem τρις 51285, in antiquis codicibus manu scriptis diligenter observatos atque numeratos: sic enim in fine nostræ epistolæ legitur: *Εν 512015 ση*, pro quo, teste IO. MILLIO N. T. p. m. 472. in Lincolnienſi codice obviat, *Εν 512015 σν*, facili lapſu librarii, dum reliqui codices cum priori illa lectione consentiunt fere omnes. Sed cum certiora adsint integritatis servatæ argumenta, ad hæc paullo incertiora ut confugiamus, quid est, quod nos moveat.

De tentata a
Marcione cor-
ruptione.

De pessimo isto nebulone, Marcione, ex EPIPHANIO constat, eum ex epistolis Paullinis non nisi decem retinuisse, inque his etiam pro lubitu & mutasse & mutilasse verba Apostoli. *Εχει δε επισολας παρ' αυτω τρις αγια Αποστολε δεκα, αις μοναις κεχρηται, & πασι δε τοις εν αυταις γεγραμμενοις. αλλα τινα περιφερων, τινα δε αλλοιωσας κεφαλαια, i. e. in terpete* PETAPIO: *Epistolas præterea Paulli Apostoli decem, quibus solis utitur, nec iis quidem integris, sed alia ex illis capita detrahatur, alia commutat.* vid. *Libr. I. advers. hæres. 42. p. m. 309.* Has inter decem epistolas erat octava, quæ ad Colossenses, sed ita corrupta atque mutilata, ut omnium in oculos statim incurreret Marcionis nequitia. Servaverat tamen præter alia capituli II. comma decimum sextum cum sequenti, id quod EPIPHANIVS in suos usus convertens, l. c. p. m. 373. ex iisdem verbis Marcionis abiectam sententiam de V. T. optime confutat, quippe qui in primis temerario conatui Marcionis, de veteri fœderi abiectissime sentientis, occurrit. Huc quoque pertinet TERTVLLIANVS, qui *Libr. V. adv. Marcion. cap. XIX* ex hac nostra epistola Marcionem confutare studet. Tantum absuit, ut Marcion singula epistolarum Paullinarum apographa corrumpere possit, ut potius veterum

rum doctorum cura, ad servanda exempla N. T. tanto magis excitaretur.

§. VI.

Vt de loco, quem epistola ad Colossenses in ordine reliquarum Paullinarum tenet, pauca differamus, nunc locus erit. De Marcione refert EPIPHANIVS l. c. quod octavum locum ei in suo *Αποστολικω* tribuerit, eamque ad Ephesinos missæ epistolæ subiunxerit, postposita ea, quæ ad Philippenfes pertinet: Addit idem, ab Apostolo ipso septimum locum huic adscriptum fuisse, *παρα δε τω Αποστολω εβδομησ κεμενης*, p. m. 373. Cui postremæ sententiæ lubentissime adstipularemur, dummodo satis inter nos constaret, ab ipso PAVLLO in certum ordinem dispositas esse epistolas, a se conscriptas. Collectas eas in uno volumine iam olim profutisse, dubium non est, quia non modo Marcion, ad imitationem prioris ecclesiæ, suum confinxit *εναγγελιον & αποστολικον*, recte hoc observante IO. MILLIO in *prolegom. ad N. T.* §. 198. sed & ORIGENES, immo vero & IGNATIVS, omnes iunctim sumtas epistolas Paullinas, tanquam unum librum, allegarunt. conf. IO. ENS in *biblioth. sacra cap. V. dist. 4. §. 15.* Certe etiam persuasi sumus, ævo apostolico statim suo ordine dispositas fuisse easdem, a viris sanctis, quos vulgo Apostolicos salutamus: sed ordinis auctorem ipsum apostolum esse dicendum, EPIPHANIO soli credere nolumus. Sufficit, epistolam hanc nostram semper in Canone N. T. fuisse, primosque ecclesiæ Christianæ doctores de conservanda canonis integritate semper cogitasse, adeo, ut ne quidem ordinem, a qua salus lectorum nullo modo pender, turbari permitterent. Septima igitur semper fuit habita epistola ad Colossenses, ratione ordinis, quem receptum systema Epistolarum Paullinarum servat, nequaquam intuitu temporis, (de quo dissert. II. §. V.) multo minus auctoritatis vel dignitatis.

C 3

§. VII.

De loco, quem in ordine epistolarum Paullinarum habent, literæ ad Colossenses.

§. VII.

Argumentum
epistola.

EX iis, quæ supra de scopo huius epistolæ differuimus, facile de argumento eiusdem constabit: quod etsi a variis vario modo recensetur, & vel geminum vel triplex constituitur, cognitu tamen facillimum erit pio attentoque lectori. IO. HENR. HEIDEGGERVS in *encheirid. bibl.* L. III. cap. 14. p. m. 901. bene atque sapienter monuit, succinctam hanc epistolam totius evangelii nucleum complecti, omniaque humana somnia, & excogitatos præter ac contra Dei verbum cultus, profigare: dum enim Colossensibus fidem in Christum susceptam gratulatur, eosdem ad quarendum eiusdem incrementam exstimulat, Christi beneficia commendat, inanem sapientiam, superstitionem, ritus Mosaicos, παραλογισμους philosophorum, dissuadet, denique veræ fidei & pietatis exercitia præscribit. Ne quid de Clariss. Dn. CHRISTOPH. STARCKIO in *synopsi bibliorh. exeger.* in N. T. tom. III. p. m. 243. de b. ABRAHAMO CALOVIO in *bibl. illustr.* tom. IV. p. 797. de SALOMONE VAN TILL, LAURENTIO, AVG. HERM. FRANCKIO, HEDINGERO, SEB. SCHMIDIO, SVICERO, FRID. BALDVINO, AEG. HVNNIO ac quam plurimis aliis commentatoribus in hanc epistolam, cum generalibus tum specialioribus, dicam, me quidem iudice, rectius nemo argumentum epistolæ nostræ recensuit, ac OECYMENIVS, cuius verba huc repetere non pigebit:

ΤΑΥΤΗΝ επιστολὴν ἀπὸ Ρώμης, ἔχ. ἑωρακώς μὲν αὐτὴς, ἀκρίβως δὲ περὶ αὐτῶν ἡ δὲ προφασίς τῆς ἐπιστολῆς αὐτῆς. Τῆς Κολασσαεὶς ἠθρονοντο τινὲς ἀπατησά σοφισμασιν Ἑλληνικοῖς κατὰ τῆς εἰς Ἰησοῦν πίστεως, καὶ περὶ τῶν ἐν νομῶ βρωματῶν, καὶ περιτομῆς. Ταῦτα τοίνυν μαθῶν ὁ ἀποστόλος, γράφει τὴν ἐπιστολὴν ὡς πρὸς κατηχητικὴν αὐτοῖς ταυτῆν καὶ πρῶτον μὲν εὐχαριστῶν τῷ Θεῷ σημαίνει ἀπὸ τῆς σκοτος αὐτῆς μεταβεβηκεν εἰς τὸ φῶς τῆς ἀληθείας καὶ ὅτι ὁ χριστός, εἰς

εις ον επιστευσαν, ειμων εστι τὸ θεὸν καὶ λογος, δι' οὗ τὰ πάντα γεγενῆσθαι καὶ οτι επρεσβεν αυτον δημιουργον οντα, γενεσθαι αυτον καὶ πρωτοτοκον της κτισεως, καὶ πρωτοτοκον εκ των νεκρων, να τὰ ἀρροττερα συναψη, καὶ ζωοποιηση τὰ πάντα. Πρωτρεπει δε αυτες εμμενεν τη πιστει, σημαινων οτι αυτος ο Παυλος διακονος εστι τὸν ευαγγελιον, εν ᾧ κατηχηθησαν· εἰτα καὶ περὶ τῶν νομῶν καὶ τῶν εν αυτω βρωματων, καὶ περὶ ημερων καὶ ενιαυτων εξηγηται· καὶ αποδεικνυσιν ηρηκεναὶ λοιπων τὰ ἱερασια, καὶ τὴν περιτομην, συμβαλλουσι τε αυτοις μη πλανασθαι απο των σοφιζομενων καὶ πλαναν αυτους θελοντων· καὶ λοιπον παρανεσας καὶ οὐδε γουεσι καὶ τεινοις, ανδρασι, καὶ γυναιξι, δελοισ καὶ κυριοις, καὶ τὰ ἀλλα, τὰ προς τὰ ἡδη συμβαλλουσας, τελειοι τὴν επιστολην. Παραγγελλει μεν τοις αυτοις, να οταν αναγνωθῃ παρ αυτοις ἡ επιστολη, ποιησωσι καὶ εν τη Λαοδικεων εκκλησια αυτην αναγνωθῆναι, καὶ τὴν εκ Λαοδικιας καὶ εις αυτες αναγνωθῆναι.

Quæ clar. Dn. CHRIST. STARCKIUS l. c. de convenientia huius nostræ cum epistola ad Ephesinos monuit, ac si haud immerito compendium prolixioris illius habeatur, siquidem tam quoad res, quam quoad verba, inter utramque summa fit similitudo, inque nostra ad Colossenses eadem res, sed brevius atque concinnius, proponantur ab Apostolo, equidem reiicienda plane non sunt, caute tamen accipienda. Et enim non desunt, in quibus disparitas, eaque non levis, deprehenditur. Mallet ideo subscribere sententiæ IO. MIL- LII, qui quidem simili fere argumento cum epistola ad Ephesinos, (quam ipse ad Laodiceos inscribendam esse iudicat) ac verborum tenore fere eodem, nostram esse, concedit, sed insimul monet, *interspersa quoque esse nonnulla plane singularia de Pseudo-Apostolorum, qui iam apud ipsos versabantur dogmatibus; angelorum cultu, dierum ac ciborum discrimine, aliisque id genus Iudaicæ Traditionis observatiunculis.* vid. proleg. in N. T. §. 80.

§. VIII.

Partitio epi-
stolæ ad Co-
loff.

In tres autem partes tota epistola commodissime dispecitur, quarum *primam* didascalicam, *secundam* Elencticam, *tertiam* pædevricam, haud inepte dixeris; vel, si cum b. CALOVIO facere amas, in duas eam partes, exordio atque epilogo omisiss, divides, prioremque *διδασκικην*, posteriorem *ὑπερθετικην* vocabis. vid. *bibl. illustr. rom.* IV. p. 797. Consimilem partitionem bimembrem tradit FRID. BALDVINVS: *Prima est διδασκικη, repetens doctrinam de præcipuis Christianæ religionis partibus, capitibus duobus prioribus. Altera est ὑπερθετικη, continens exhortationes ad opera Christiano homine digna, quæ partim in genere ab omnibus, partim in specie a certis quibusdam hominum ordinibus requiruntur.* vid. *comment. in epist. Paullin.* p. 1037. SEB. SCHMIDIVS in quinque partes epistolam resolvit, addita hac cautione, epistolam a variis varie dividi, esse autem cuilibet libertatem suam concedendam, modo nihil contra verum sensum quis moliat. v. *commentar. in epist. ad Coloss.* p. 5. Quod ad nos, placet has tres epistolæ partes, omisiss exordio atque epilogo, constituere :

Caput I. epist.
ad Coloss.

I. Didascalicam: Præmissa salutatione, Cap. I. v. 1. 2. apostolus fidem Colossensium, per Epaphræ ministerium a Deo productam, gratissima erga Deum mente agnoscit & celebrat, v. 3-8. seque indefinenter pro augenda & conservanda hac Colossensium fide, eorumque in Deum reverentia, precari, perhibet, v. 9.-12. omnem salutis economiam, in CHRISTO unice fundatam, v. 13-22. exponens, evangeliique propagationem, v. 23. nec non sui ministerii difficultatem v. 24. pariter & felicitatem v. 25-29. commendans Colossensibus, eum in finem, ut in religione Christiana tanto certius perseverarent.

Cap. II. epist.
ad Coloss.

II. Elencticam: Quia vero apostolus Colossensibus
multa

multa mala ab hæreticis, passim iam tunc ecclesias perturbantibus, metuit, suam de Colossensium inconstantia vel mobilitate sollicitudinem exponit, *Cap. II. v. 1. 2.* multisque verborum ponderibus ad constantiam in fide, ne unquam ab agnita veritate deficient, eos adhortatur, ita, ut **CHRISTO**, tanquam omnis salutis fonte laudato *v. 3. in genere*, ne per paralogismos se ab eo abduci concedant, sed in **CHRISTO**, ut unico salutis fundamento, persistant, *v. 4-7.* graviter imperet, inde *in specie* ad fugiendas opiniones erroneas pergat, addita hæreticorum confutatione, & admixtis sententiis veris, hæreticorum fraudibus maxime oppositis, atque studiose custodiendis, *v. 8. ad fin.*

III. Pædeticam: Confirmatis Colossensibus in fide, Apostolus more quidem suo, ad morum emendationem vitæque puritatem, e vera religionis doctrina antea ab ipso proposita, sponte fluentem, progreditur. *In genere* ad resurrectionem spiritualem celestiumque meditationem, animos Colossensium, additis gravissimis argumentis, excitat *cap. III. 1-4.* revocans eosdem a vitiis, quibus olim fuerant dediti *v. 5-10.* sed ad colendam & sectandam virtutem, in variis operibus rectis conspicuam, commonescens, *v. 10-17.* Postea *in specie* mulierum *v. 18.* maritorum *v. 19.* liberorum *v. 20.* parentum *v. 21.* fervorum *v. 21-25.* herorum *cap. IV. 1.* (*) officia Colossensibus observanda præcipit, annexa denuo admonitione generaliori ad preces nunquam intermittendas *v. 2.* & pro se ad Deum fundendas *v. 3. 4.* ad prudentiam erga omnes & omni tempore observandam, *v. 5. 6.* tandem salutatione consueta, factorum suorum enarratione, aliisque ad e-

D pilo-

(*) Pertinet itaque capituli quarti primum comma ad antecedens caput tertium, deditque **HUGO CARENSIS** in huius quoque epistolæ distributione in capita, negligentia suæ documentum. vid. **FRITH** introd. in lectionem **N. T.** p. 353. edit. quart.

26 INTROD. IN LECT. EPIST. S. PAVLLI AD COL-
pilogum pertinentibus, & in singulis S. PAVLLI epistolis
obviis, literas claudit.

§. IX.

Analysis epi-
stolæ genera-
lior.

Inde nunc ad analysin totius epistolæ, quam conficere, fa-
cillimum esse, tot supra allegatis auctoribus §. VI. præ-
euntibus, nemo non intelliget, pergendum esset; Malu-
mus autem hanc vel exegetis vel homiletis relinquere ope-
ram, non nisi generalissimam epistolæ partitionem subiun-
gentes:

I, Inscriptio: Cap. I. 1. 2.

II, Tractatio: quæ tria capita complectitur.

1, confirmationem in vera doctrina Cap. I. 3. ad fin.

2, dehortationem ab erroribus grassantibus Cap.

II. tot.

& quidem p. generatim, Cap. II. 1-7.

p. speciatim, Cap. II. 8. ad fin.

3, adhortationem ad officia, cum generalia Cap. III.

1-17.

tum specialia, Cap. III. 18. ad cap.

IV. 6.

III, Conclusio: Cap. IV. 8. ad fin. in qua obviat

1, rerum ad Paullum pertinentium noticia Cap. IV.

7 8 9.

2, salutationes mutuae, Cap. IV. 10-15.

3, mandatum speciale duplex, Cap. IV. 16. 17.

4, votum & subscriptio Cap. IV. 18.

DEO SIT GLORIA.

Emendanda.

- Pag. 1. lin. 6. a fine, verbo *affirmamus* præmittatur *idem*.
p. 3. lin. 18. lege, remque sua *cum umbra adunare*.
p. 5. lin. 6. pro *capiditatibus*, lege *cupiditatibus*.
— in not. lin. 5. pro *fuisse* lege *fuisse*.
p. 7. lin. 22. pro *Hic* lege *Hinc*.
— lin. 26. pro *idem, qui* lege *idem, quod*.

ET RELIQA.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.




ULB Halle
006 539 734

3



v2 18





S
N.
I
BI
eruy
c ea
st,
sur
th
En
ntre
de a
ire
c ti
men
fat
,
exa
p
ibi
reg
am
em
V
PA
mi
nt
nev
I,
eue
m f
a, f
xo
C
ete
Bud



INTRODVCTIONIS
IN
LECTIONEM
EPISTOLAE S. PAVLLI
APOSTOLI
AD
COLOSSENSIS
SECTIO III.

12

1742

10

QVAM
PRAESIDE
D. CAROLO GOTTLOB
HOFMANNO

S. S. THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO SENATVS ECCLESIASTICI ASSESSORE
AED. MARIAN. PASTORE ET TOT. CIRC.
SAXON. ELECTORAL. SVPERINTEND.

GENERALI
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
D. XXV. MAII A. R. S. CIO IO CC XLII.

H. L. Q. G.

PVBLICE DEFENDET

M. CHRISTOPHORVS BAVER

SCHNEEBERGENSIS

S. S. THEOL. CVLTOR ET ALVMN. REG.

VITEMBERGAE
PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELDI
ACADEMIAE A TYPIS

